



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Verus Ecclesiasticus Vocationem suam cognoscendi Avidus, Eidemqve Correspondendi Studiosus

Mansi, Giuseppe

Francofurti ad Mœnum, 1693

Cap. XV. Qua cura, ac cautione debeant co[n]versari Ecclesiastici,
semperq[ue] providere, ut in domibus suis habeant personas virtuosas

urn:nbn:de:hbz:466:1-38106

si
sua quæ talenta, scientiam, aliaque Dei natura-
ræque dona impendissent in beneficium ac
favorem populi, curæ ipsorum commissi, lo-
co, quod vacassent aut inertio otio, quietique
languidæ, seponendo, ac rejiciendo omnem
curam salutis proximi, aut vixissent toti im-
mersi, intentiq; propriis commodis, ac tem-
poralibus transitoriisque emolumentis, sæ-
pius etiam perdendo ac consumendo pro-
prias facultates, corporis sanitatem, animæ-
que salutem æternam.

Caput Decimum Quintum.

*Quæ cura, ac cautione debeant conversa-
ri Ecclesiastici, semperque providere,
ut in domibus suis habeant per-
sonas virtuosas.*

Redemptor mundi Ecclesiæ suæ volens
adumbrare structuram ac ædificium
apud S. Joannem Evangelistam vineæ il-
lam comparavit, quæ intus bene sit pro-
visa cunctis necessariis ac utensilibus,
exteriorque circumdata, ac munita bono
sepimento, quo & ferarum incurfus, &
latronum ac furum prædatrices arceantur

manus. Per septem illam optime possunt intelligi illi, qui licet proprie non spectent ad Ecclesiam, semper tamen adsunt Ecclesiae ministris ac Ecclesiasticis, quales sunt amici, familiares, servi, alique saeculares officiales, consilarii &c. per quorum probam ac exemplarem conversationem, Ecclesiasticorum virtuosa vita, bonaque fama ac respectus munitur, eorumque salubribus consiliis arcentur, ac amoventur errores ac transgressiones, ac ipsorum honesto agendi modo extrinsecus defenditur, contra obtreptantium molossorum latratus, bonum Clericorum nomen: *Maceria*, dicit Philo, *de Agricultura, fructus plantasque agri conservat, arcum irrumpendi, nocendique cupidos.*

Instanter in Canticis rogat sponsa sponsum, ut sibi dicat, *ubi pascas ubi cubes in meridie?* Cur adeo sollicitè quaerit anima illa locum quietis, ac singularis temporis meridiani? S. Augustinus acutè advertit meridianum tempus majorem habere calorem, & ampliorem splendorem; hinc sponsa cupiens videre sui sponsi gloriam, petit intueri, ac reperire ipsum tali tempore, in quali tunc revera erat, circumdatum scilicet hominibus per virtutes splendens, ac charitate ferventibus, quo

quorum dum est contubernio, ac Societate, est in meridie suæ gloriæ: *Quid significat merities? Magnum fervorem, magnumque splendorem; ergo notam fac mihi, qui sint sapientes tui, spiritu ferventes, & doctrinâ fulgentes. Dexteram tuam notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. Ipsis inhaream in corpore tuo, ipsis socior, cum ipsis te fruor* s. Aug. Ser. 10. de verb. Dom. Anima illa Sancta Ecclesiam repræsentat, quæ tunc singulariter in sua gloria resplendet, dum ii qui Ecclesiasticis inserviunt, cum ipsis tractant & conversantur, sunt homines sapientes, pleni spiritu & clari doctrinâ.

Laetabilis sane, tantoque digna Ecclesiastico, fuit cura illa ac sollicitudo, quæ in Leone Tertio summo Pontifice, etiam in annis juvenilibus enituit, dum vix consecratus Sacerdos omni studio quæsitum consortium, ac conversationem hominum præstantium ac doctorum, prout ipsius testantur acta: *Bar. an. 1195. num. 40. Erat vir castus, loquelâ facundus, animo constans. Ubi inveniebat aliquem præcipuum monachum vel servum Dei, in colloquiis divinis, & orationibus cum eo penitus vaseare non cessabat, eademque quasi uteba-*

tur ac ducebatur ratione, qua ductū legitimum dignum illum Ecclesiasticum S. Paulinum: Ep. 4. ad S. Sever. *Cum reperero sapientiam, cum reperero justitiam in alicujus penetralibus recumbentem, curram, omneque suum in eo ponebat studium, ut probis ac doctis amicis posset cohærere, iisque familiaritate jungi.*

Quantum conducatur, non solum nostrae utilitati, verum etiam splendori, decoro, ac æstimationi nostræ, penes se habere viros dignos, præstantes ac eruditos, innuat S. Joannes Chrysostomus, dum ita nos monet: *Hom. 22. ad pop. Illos prosequimur, & acquiramus amicos, qui mentem nostram moderari, consulere honesta, peccantes increpare, consilio ac precibus operari, & ad Deum adducere possunt: Idemque in praxi protestatus est S. Gregorius Magnus, quando è cella sua monastica transferebatur ad thronum Petri, nullos prorsus alios homines ad latus suum volens admittere, quam qui digni essent & qualificati inservire tanto Pontifici, unde refert Joannes Diaconus in vita ipsius: *Remotis à suo cubiculo secularibus, clericis sibi prudentissimos Consiliarios, familiaresque**

delegit: Monachorum verò sanctissimos sibi familiares adscivit.

Qualem autem inde retulerit fructum, quantumque emolumentum idem S. Pontifex, dum aulam suam hujusmodi haberet repletam hominibus, præfatus etiam author refert, dum confitetur illo tempore Romanam vix distingui potuisse à Jerosolyma, qualis fuit temporibus Apostolorum, & ab Alexandria, quæ is fuerat sub Marco: Videbantur passim cum eruditissimis Clericis adherere Pontificis Religiosissimi Monachi, & in diversis professionibus habebatur vita communis; ita ut talis esset tunc sub Gregorio penes urbem Romanam Ecclesia, qualem hanc Jerosolymis sub Apostolis Lucas, & sub Marco Evangelista penes Alexandriam Philo commemorat; Atque ex his præmissis, consequentiam valde utilem deducit Joannes, hæc subjungens: *Qui vel sanctimoniam, vel prudentiam fortè carebat, suo ipsius judicio subsistendi coram Pontifice fiduciam non habebat.*

Hujusmodi commensalibus optabat semper videre cinctum Eugenium summum Pontificem S. Bernardus, securus, brevi secururam morum reformationem in omnibus sæcularium, si Ecclesiasticorum ædes viderent fulgere talibus personis, quæ per sanctitatis

citatis ac doctrinæ radios venerabiles essent
 subditis, eisque prælucent. Ut S. Carolus
 solidum poneret fundamentum reformatio-
 nis Ecclesiæ suæ Mediolanensis, ante omnia
 studuit undique convocare viros excellen-
 tibus virtutibus præditos, ut illorum exemplari
 vitâ, tanquam medio efficacissimo, abusus
 & errores suæ Metropolis curarentur: tam in-
 dustriè incubuit S. Præsul illi dignarum per-
 sonarum electioni, ac perquisitioni, ut
 illum faceret S. Philippus, singularis eius
 amicus Ep. m. s. appellaverit, prædonem
 raptorem bonorum hominum; atque ex
 eadem hac solertia, abundantissimos re-
 tulit fructus, qui sese manifestant, per
 disciplinam, ac exemplarem observantiam
 quam introduxit in Ecclesiam, respicitque
 ac veneratur cum applausu universus orbis
 catholicus, gaudetque modum bene re-
 gendi Ecclesias, posse desumi ex methodo
 illa, qua optimè suam Mediolanensem go-
 bernavit optimus ille Pastor, pariterque
 Sanctissimus Præsul. Eodem spiritu suum
 inchoavit felicissimè Pontificatum S. Pius
 Quintus, qui non contentus, elegisse ho-
 mines exquisitos, ac approbatissimos per
 palatii sui, aulæque ministerio, scripsit
 piscopis, ac Archi-Episcopis Europæ, ut per
 (os)

sonas sibi suggerent , quas tam in moribus,
quam doctrina dignas existimarent , quibus
pro dignitate S. sedis Apostolicæ , ac utili-
tate universalis Ecclesiæ , fideique gravissimis
negotiis posset uti , & in una ad Episcopum
de Palenza ita ait : *Lib. I. Ep. Illud te moni-
tum volumus ; ut omni officio & diligentia ,
de civitate illius , Diocesisque tuæ Clericis
indagandis probè cognoscas, qui catholica pieta-
tis laude , morum integritate, probitate vita, ac
doctrina præstent, idoneique sint, ut huic sanctæ
ac Apostolicæ sedi fideliter , atque utiliter,
inservire possint.* Et ante plura secula S. Tho-
mas Cantuariensis, translatus ex Angliæ Can-
cellaria , ad Metropolim Cantuariensem
regendam , quam etiam præclarissimo suo
illustravit Martyrio , heroicarum suarum
virtutum sparsit semina , statim in initio
sui Episcopatus , dum omnem adhibuit di-
ligentiam ut homines pietate , doctrinaque
excellentes sibi procuraret, quorum confor-
tio uteretur , unde ita in ipsius vita scribit :
*Christ. Lup. Illud etiam non taceo, dum, sed qua-
si extollendum præconio, quod semper secum ha-
buerit multos, & magnos viros omni morum, &
vita honestate præditos , & scientia eruditio-
ne præclaros , in scripturarum planis prom-
ptissimos , in mysteriis exercitatos , in sacra
verò*

verò collatione fructuosos, adeo ut inter istos
quotidie quod vis sapiens sapientior fieret. Quid
multum Pontificis proposito, & desiderio save-
bat.

Non deberent Ecclesiasticorum domus
differre ab illis ædibus, in quibus secundum
ritum Mosaicum manducabatur Agnus Pas-
schalis, verus typus, ac figura Sanctissimi
Sacramenti, quo nos vescimur; circa illum
ordinaverat DEUS, ut quando non essent
sufficientes numero domestici, qui eum
consumerent, ut advocarent amicos & vi-
cinos: Hoc mihi significare videtur, quod
vicinos sacrificii participes fieri Deus præcipit,
ita opus fuerit, idem est ac si diceret, eorum su-
lutem operâ, & adjumento ad eam rem uti, qui
virtute nobis consanguinei sunt, moribusque
persimiles, inquit S. Gregorius Nazianze-
nus: Or. 42. Illi quibuscum agimus, ac
conversamur, demonstrant, exhibentque aliis
genium ac mores nostros, per conversatio-
nem suam, modumque agendi; Si ergo vobis
mus ut luceat vita, ac bona fama nostras
id utiq; dicebat Petrus Cardinalis Damianus,
Ep. 3. ad Hen. 3. si nos præclaris, insignibusque
conjugamus: Decorem induisti amicitia
mine, id quod sequitur, dum ex imitatione
Chr.

Christi, sibi met clementer agglutinat innocentes, niore iusticia sp. ciosos.

Quis credat, quantum tollatur de opinione ac fama integritatis alicujus Ecclesiastici, dum conversatur, agit, ac familiariter tractat cum personis, quarum mores, modusque agendi, parum conveniunt Ecclesiasticis? Diruetur sapes vineæ, decedet bonitati, ac probitati vinitoris, corruet turris domus, è qua poterat prospici à longè, imminentibusq; malis præveniri, *Auferam maceriam ejus, & erit in conculationem.* Ponamus, discurrit Tertullianus, committi in aliquo agro homicidium, cujus facinoris, agri Patronus conscius non sit, hisce tamen non obstantibus, dum ignoratur latro, non in exigua suspitione manet ipse, eo quod in ipsius fundo commissum sit malefactum; *Cum in alicujus agro latrocinium gestum est, crimen quidem Dominum non constringet; dum res tamen ejus ignominia notatur; ipse quoque fama aspergitur.* Tertullianus de cult. scem. cap. 2. Circa hanc veritatem, fuit gravissima reflexio, quam fecit Cardinalis Baronius, ad annum Christi 1104. Tom. 12. n. 10. ubi ponderans quod Ecclesia sit mystica illa domus, quam ingressa fuit pœnitens Magdalena, totaque

taque odorifera exfragrantia unguentorum remansit, contingere sapius in domo illa mystica, ex inferiorum ministrorum culpa, qui ipsis assunt, seruiuntque Ecclesiasticis, suavem illum gratumque odorem deperdit. *Fitque ut domus illa, qua est repleta boni odoris unguento, ex diversorum S. Spiritus Charismatum donis, ob huiusmodi muscas morientes, qua perdunt odorem unguenti, malis oleat in ipsorum perditionem.*

Calliodorus, vir undequaque doctissimus, aedificato Vivariensi Monasterio, ut huiusmodi inconveniens tuis caveret, contentus minimè illuc introduxisse Abbates Sanctos, Gerontium, & Calcedonium, ipsi quoque praescripsisse saluberrimas sanctiones, praeter omnibus autem illis inculcat, ut attentè adyigilent iis, mores, ac vitam bene observent eorum qui vel monasterio servant, vel quovis modo accessum ad illud habent. *Ipsos rusticos (dicit homo divertissimus de L. c. 2.) qui ad vestrum monasterium pertinent, bonis moribus erudiri: Et parum superius idem ipsum repetendo majori instantia dicit: Illis ordo conversationis purissimus imponatur, frequenter ad monasteria sancta conveniant, ut erubescant vestros se dici, & de vestra institutione cognosci. Confort*

huic proposito narrat S. Augustinus *de vera relig. cap. 33.* se vidisse Romæ ædes Ecclesiasticas, tam bene ordinatas, tam regulari exactaque observantia gubernatas, ut nequidem per diem aut noctem sustinerent manere infra sua tecta, personas moribus haud præditas, conformibus loco, quem inhabitabant. Vivebant, dicit ille sanctus, toti in charitate: nec quidquam nisi charitatem spirabant, tam in compositione personæ, quam in obtutu vultus: & si foras aliquis fuisset repertus, qui à laudabili hac declinasset consuetudine, illum apud se pernoctare haud sinebant: *Charitati victus, charitati vultus aptatus: Coitur in unam, conspiraturque charitatem. hanc violare, tanquam Deum, nefas ducitur: huic si quis resistit, expungitur, atque jicitur; hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur.*

Absq; diligenti ista sedulaq; cura, habendi semper penes nos homines exemplares ac virtuosos, obtinere non poterimus respectum & reverentiam statui nostro debitam, nec emolumentum, ac fructum vocationi nostræ correspondentem, suntque in hoc felices Diœceses illæ, in quibus Prælati zelant electionem optimorum: Ita Paschalis Secundus informat Dominicum Episcopum

pum Compostellanum: Cardinales in Eccle-
 sia tua presbyteros, seu Diaconos tales consti-
 tue, qui dignè valeant commissa sibi Eccle-
 siastici regiminis onera sustinere: *tom.*
Mar. Et S. Bernardus, ubi intellexit Gu-
 donem, de Castello S. Rom. Ecclesia Car-
 dinalem, ac legatum Franciæ, ad suam fa-
 miliaritatem ac mensam admisisse Arnol-
 dum de Brixia, divulgato hoc rumore
 muneris sui esse duxit Cardinalem admons-
 re, ut à se repelleret hominem malignum.
 Alioquin, scribit, Ep. 106. familiarem habere,
 & frequenter admittere ad colloquendum,
 ne dicam ad convivandum, suspicio favoris,
 & inimici hominis fortis armatura. Securus
 annuntiabit, & facile persuadebit, qua-
 let, domesticus, & conubernalis Legatus
 Apostolica. Quis enim à latere Domini Pa-
 pe, & mali quidpiam suspicetur? Sed
 si in manifesto perversa loquitur, quis se
 cile opponere audeat vestro collateralis? Eius
 perniciosos effectus, procedentes à perfidis
 malis aut certè suspectis, aut non probatis
 rum morum, quæ familiares sunt, aut con-
 tubernales virorum Ecclesiasticorum, hæc
 que consideratio in planctum ac querelam
 suis ad Pontificem summum litteris, co-
 erumpere S. Ivonem Episcopum Carnoten-
 sem

sem. Ep. 29. ad Pasch. 2. *Fit in Ecclesia mirabilis contemptus mandatorū Dei, & ineffabilis morū corruptela, cum ibi invenit quorundam perverfitas incorrupta confugium, ubi innocentia sola deberet habere praesidium.*

Non erat taliter in Diocesi Burgenſi ſub regimine S. Gulielmi Archiepiſcopi, qui ſeſe optime reflexit, quanti ſui, ſuorumque intereſſet id in viva, perfecta que praxi obſervare, unde acta ipſius dicunt: *Eos duntaxat admittēbat ad familiaritatem, quos ſanctitatis opinio commendabat; à quibus, ut magis magiſq; ad-diſceret eſurire, & ſuire iuſtitiam, crebris eorum locutionibus frui volebat: Illis plane à familiaritate excluſis, quos vel ſciret notatos infamia, vel quibus ipſa familiaritas cauſa eſſet ejus contemnendae dignitatis & ſunctionis.* Sur. Tom. no. 1an. Si hujusmodi comenſalibus ſtipatae forent domus Eccleſiaſticorum, ad vivum repraſentarent aedes ac familiam Patriarchae Abrahami, qui, quam primum à Deo accepit mandatum Circumciſionis, contentus haud fuit durum adeo rigidumq; praecipuum exequi in ſua propria perſona, aut ſua prole, ſed, dicit Sacer textus: *Gen. 27. Tulit Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos ſuos, univerſosque, quos emerat cunctos mares, ex omnibus viris domus ſuae, & circumcidit*
U *carnem*

carnem praeputii eorum statim in ipsa die, sicut
 praeceperat ei Deus. Nolebat sanctus ille
 in domo sua pati alios ritus, aliove mo-
 res, quam quibus ipse uteretur, atque id
 quod in sua fecerat persona pro observantia
 ac veneratione caelestis ac divini monitor
 etiam in quolibet suorum executus est.

Formatur S. Joannes Chrysostomus in 1.
 Tim. cap. 3. Hom. 11. unam pulchram illationem
 deductam ex agricultura: Si quis videat
 ramos alicujus arboris fortes, ac floridos, statim
 inferet, etiam radicem esse talem; si autem
 contra advertat aridos, languidos, ac emar-
 dos, optimo fundamento dicit, vitium hoc
 riri ex radice: *Ex radice optima surculi pro-
 deunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt.*
 Id sane rectissime sequitur in domibus, ac
 familiis Ecclesiasticorum, quorum quales viri
 ris esse servos, familiares, ac commensales, p-
 les & ipsos reputa: Acute olim dicebat quidam
 dam: *Qualis est hera, talis est pedissequa.* Et
 Apostolus contentus non fuit, praescribere
 Episcopis modum irreprehensibilem, ac
 culpatum vivendi: *Oportet ergo Episcopum
 irreprehensibilem esse, quasi hoc non sufficit
 statim subjungit: Filios habentem subditum
 cum omni castitate, ut insinuet. commentatur
 S. Chrysostomus, in 1. ad Tim. Hom. 10.*

debere habere domum repletam hominibus
 piis ac virtuosis, qui indices sint probitatis
 Patroni ædis: *Oportebat nempe, ut ex vicino,*
atque domestica virtutis sua præberet indicia:
Quis enim crederet illum alienos quosque sub-
jectos habiturum, qui filios non habuerit subdi-
tos? Et Dionysius exiguus scribens Juliano
 presbytero Carnali sanctæ Anastasiæ, *Tom. 1.*
Conc. Labbe P. 3. ego, dicit, tam felix non fui, ut
 ex vultu cognovissem S. Gelasium secundum
 summum Pontificem, ex vestris tamen mori-
 bus facile adverti, qualis domus ipsius foret
 status ac conditio: *Quanti sit apud Deum*
meriti Beatus Papa Gelasius; & nos, qui cum
presentia corporali non vidimus, per vos alti-
mos ejus facilius æstimamus; cujus eruditione
format, gradum presbyterii sancta conversatio-
ne decoratis; ut in vestrorum morum perspi-
cuo munere; ejus quodammodo videatur actio
præluere. Quicumque Ecclesiastico Ordini
 adscriptus est, diligenter advertat, retineat-
 que memoriâ versus illos, quos in quendam,
 nomine Publius, lusit Martialis Poeta: *L. 10.*
Epigr. 98.

*Perdet te pudor hic habere, Publi,
 Mores non potes hos, & hos ministros.*